ficile inebriatur.

Uexatus. id est portatus ab eo quod est ueo, uecto (uel) uexo ut uexasse sit portasse.

Uenificus. eo quod uenenum mortis causa parauit aut praestitit aut uendidit.

Uector quasi uehitor. est autem uector et qui uehit et qui uehitur.

Uenator quasi uenabolator. a uenatione scilicet quo bestias perimit. quattuor autem sunt uenatorum officia. uestigatoris. indagatoris. alatoris. pressoris.

EXPLICIT LIBER X.

# INCIPIUNT CAPITULA LIBRI XI. ID EST DE HOMINE ET PARTIBUS EIUS DE AETATIB(US) HOMINUM ET PORTENTIS ET TRANSFORMATIS

I. DE HOMINE ET PARTIB(US) EIUS.
II. DE AETATIBUS HOMINIS
III. DE PORTENTIS
IIII. DE TRANSFORMATIS

I. NATURA DICTA AB EO QUOD nasci aliquid faciat. gignendi enim et faciendi potens est. hanc quidam deum esse dixerunt a quo omnia creata sunt et existunt. Genus a gignendo dictum cui diriuatum nomen a terra ex qua omnia gignuntur. ge enim grece terra dicitur. Uita dicta propter uigorem uel quod uim teneat nascendi atque crescendi. unde et arbores uitam habere dicuntur quia gignuntur et crescunt. Homo dictus quia ex humo est factus sicut et in genesi dicitur. et creauit deus hominem de humo terrae. abusiue autem pronuntiatur ex utraque substantia totus homo id est ex societate animae et corporis. nam proprie homo ab humo. greci autem hominem antropum appellauerunt eo quod sursum expectet subleuatus ab humo ad contemplationem artificis sui. quod ouidius poeta designat cum dicit. pronaque cum spectant animalia cetera terram. os homini sublime dedit caelumque uidere iussit et erectos ad sidera tollere uultus. qui ideo erectus caelum aspicit ut deum quaerat non ut terram intendat uelut pecora

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/bav/bav_pal_lat_281/0326